



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Deo, Angelis Et Actibus Humanis

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Quæstio III. An Attributa distinguantur ratione præscindente objectivè?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82949](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82949)

negationis sit evidentior, utpote cum affirmatio dicat identitatem, negatio alietatem; etiam hæc dicit distinctionem realem.

RESPONDETUR, retorquendo argumentum, quod probat inter affirmationem & negationem non posse reperiri solam distinctionem realem in tertio; sicut nec reperitur inter produciens & productum. Dixi etiam; quidquid sit an sit major oppositio, saltem debere esse tantam, inter affirmationem & negationem proportionatam; quæ hîc non potest ostendi: Vel esse tantam distinctionem inter esse & non esse, sed non esse tantam, inter esse & non esse restrictum, quale est hîc. Quæ omnia supra explicata.

INSTAT; Difficilius esse quod eadem res identificentur secum illud, quod non est, quàm quod identificentur illud cuius principium est; Ergo cum hoc posterius non admittat fides, jam admittemus difficultatem supra fidem.

RESPONSUM jam est, per distinctionem virtualem non identificari rei quod non est, accipiendo identificationem, vel non identificationem inter membra proportionata; essetque difficultas supra fidem, immo nec revelabilis à fide, quod aliquid identificetur ei, de quo proportionaliter negatur: esset enim affirmatio & negatio ejusdem de eodem sub ratione ejusdem; quod est impossibile, & non tantum præter lumen naturæ, ut sunt pleræque res fidei, sed contra dictum lumen.

QUÆSTIO III.

An Attributa distinguantur ratione præscindente objectivè?

SENSUS tituli est; An unum Attributum ab alio, itemque ab Essentia præscindi possit objectivè.

Quid veniat nomine præcisionum objectivarum? quid nomine formalium? dixi in Logica. Breviter, quando attingitur una formalitas, & non attingitur ex parte objecti, alia identificata realiter, tunc est præcisio objectiva. Nominem autem præcisionis formalis venit, quando respondente clarè una formalitate, & alia illi identificata respondet sed confusè, nec discernente intellectu, ad eum modum, quo si se penetrarent vultus Pauli & Andreæ, non posset oculus discernere, inter vultus. Cæterum in sententia admittente præcisiones objectivas, hi ipsi termini præcisio formalis, & præcisio objectiva, alio sensu sumuntur: Præcisio enim formalis est actus meus præscindens, præcisio autem objectiva tenet se ex parte objecti jam præcisi.

Admisi Tractatu de Distinct. præcisiones objectivas etiam in creatis; Tum, quia allata supra explicatio distinctionis ut sic virtualis, ostendit etiam in creatis dari talem distinctionem, con-

sequenter & præcisiones: hæc enim consequuntur se. Tum, quia nec ex parte potentia intellectiva, nec ex parte objecti id repugnat: Tum, quia non est major identitas physica inter animal & rationale, quàm inter naturam & paternitatem; Ergo si hæc præscindunt objectivè, etiam illa præscindunt.

Admisi etiam easdem præcisiones in Divinis, propter dicenda infra. Quod attinet ad creatam, admisi illas non nisi inter rationes communes, & quarum una non est definitio alius, sed non admisi inter rationes restrictas. Sic v.g. animal si spectetur ex vi Essentia suæ præscindit à rationali: ratio enim communis illius, non est ratio communis huius, nec definitiva illius; sed animal restrictè acceptum non præscindit: animal enim restrictè acceptum est v.g. Petrus, prout est principium actuum sensandi, & rationale est ipse Petrus, prout est principium actuum ratiocinandi; Petrus autem & Petrus, à se ipso non præscindit. Idem etiam dicendum est de Attributis, quod scilicet secundum rationes communes Justitia non sit Misericordia, & è converso; cæterum Justitia Dei restrictè accepta non præscindit ab Essentia: sic enim sumpta, est ipsa Essentia, prout est principium actuum Justitiæ; Essentia autem à se ipsa, sub formalitate Essentia, non præscindit.

Notionalia quæ talia, etiam accipiendo illa non secundum rationes communes, præscindunt objectivè ab Essentia. Ratio, quia notionalia quæ talia, dicunt distinctionem virtualem in ordine ad prædicata etiam physica: Ergo multò magis ad intentionalia; immo si notionalia quæ talia, non præscinderent objectivè, hoc ipso essent aliquid commune, adeoque hoc ipso non notionale. Fusius & in Divinis, & in Creatis probavimus ibidem dari præcisiones objectivas.

Insuper sit

DIFFICULTAS I.

Probatur dari Præcisiones objectivas in Divinis.

IN Logica utebamur hoc etiam argumento ad probandum præcisiones objectivas in Divinis. Quando dicitur, intellectus generat, vel ex parte objecti respondet voluntas, vel non respondet? Si non respondet, dabuntur præcisiones objectivæ; Si respondet, ergo voluntas generat, quod non potest dici.

RESPONDETUR. Hoc argumentum non totaliter convincere: reperiuntur quidem locutiones Patrum, quæ negant voluntatem generare, sed dantur alii Patres, qui dicunt voluntatem generare, quod priores attinet, tale est Tolet. II. Non est, inquit, credendum, quod Pater voluntate Filium genuerit, nec quod voluntas sapientiam produxerit. Similia habet Smyrnenſe can. 21. Augustinus

l. 65. questionum q. 7. vide Ruiz de Tri-
nitate d. 65. l. 1. &c. Dantur tamen locutiones
Patrum, qui dicunt, verbum Divinum esse etiam
per voluntatem: ita S. Jacobus apud Clem. Ro-
manum l. 8. c. 12. & 16. *Generasti voluntate* (dicit
ad patrem) *virtute & bonitate filium*. Conc.
Tolet. 15. in Confess. fidei. *Secundum Essenti-
am voluntas genuit voluntatem: Filius est voluntas
ex voluntate*. Concil. Sardicense in Confess.
fidei, inquit: *Quod neque consilio, neque voluntate
Pater genuit Filium, anathematizat sancta & Ca-
tholica Ecclesia*. Similia habet Cyrillus Alex. l.
1. Theol. c. 8. vide Ruiz ibidem d. S. 5. 2. Num.
14. Sect. 4. & 5. & Quiros d. 15. Num. 164. est
que Sententia Athanasii, Eusebii, Ephremi, Hi-
larii, Aug. Dionysii.

Quod ad priores Auct. attinet, dici potest,
quod illa ut plurimum procedant contra Arria-
nos, qui docebant, liberum fuisse Deo, ne habe-
ret filium, ex quo ulterius inferebant; Non fuis-
set nec efficitur filium Dei per naturam. Ut
scilicet huic dogmati opponerent PP. negarunt
voluntarium, seu liberum fuisse Patri, habere fi-
lium, vel quod negarint, formaliter procedere
filium, per voluntatem. Quod autem attinet
ad oppositas Auctoritates, illæ etiam explicari
possunt; quod scilicet voluntate hoc est, non
coactus genuerit: inter enim Eunomianorum
sophismata fuit, vel voluntate genuit Pater Fi-
lium, ergo liberè, ergo poterat non esse, ergo non
est Deus. Si non voluntariè; Ergo coactè; Er-
go Pater ille non est Deus; in isto ergo sensu
docebat PP. voluntariè genitum, hoc est, non
coactè. Ex citatis pro utraque phrasi Aucto-
ritatibus convinci non posset, qui concederet,
quod voluntas generet: defenderet se enim lo-
cutionibus PP.

INSTABIS 1. Debet esse diversitas inter pro-
cessionem Verbi & Spiritus S. si autem realiter
etiam per voluntatem procedit Spiritus S. nul-
la esset diversitas.

RESPONDERI posset, sufficere diversitatem
non virtutalem, sed non nisi formalem cum fun-
damento in re, vel ratione solius formalis prin-
cipii ut quo.

INSTABIS 2. Si non esset major distinctio
inter intellectiōem per quam Verbum, & volitio-
nem per quam Spiritus S. procedit, si inquam
non esset major, quam formalis cum fundamen-
to in re, sequeretur, nec ipsum verbum, & Spi-
ritum S. fore distinctos: non enim posset ostendi,
quomodo magis Verbum esset in similitudinem
naturæ, siquidem tunc natura non distingueretur
virtualiter à volitione.

RESPONDERI posset, posse adhuc salvari
quamvis distinctionem: quia intellectus no-
bet, & voluntas non sunt distinctæ potentie rea-
liter immo nec virtualiter in ordine ad prædica-
tionem physicā; & tamen hoc non obstante, termini
horum, hoc est, intellectio & volitio distin-

guuntur inter se: sic etiam quamvis nulla possit
in principio remoto ostendi differentia, potest
esse distinctio inter terminos processionum, hoc
est Verbum & Amorem: quia scilicet Verbum
est de linea intellectuali: est enim expressio ob-
jecti, & intellectio, ut ita dicam passiva; conse-
quenter in eo, in quo producit, est in similitu-
dinem naturæ: quia intellectio est natura in Di-
vinis: jam autem Spiritus S. est de linea appeti-
tus, & amor ut ita dicam passivus; consequenter
inter se, illi termini bene distinguuntur.

NEQUE valet si dicas, quod distincta actione
producatur intellectio in creatis, & distincta vo-
litio, ratione cujus distinctæ actionis, ipsi ter-
mini distinguuntur: quod hic non ostenditur.
Non inquam valet: quia non apparet quid ha-
beant illæ distinctæ actiones ut constituent ipsos
terminos inter se distinctos? & hunc quidem in
ratione intellectiōis, illum in ratione volitio-
nis. Deinde per multos verbum mentis & vo-
litio, non producuntur distinctis actionibus.
Denique sufficit ostendere diversitatem in prin-
cipio formali quo processionum. Universaliter
autem advertendum est, quod hæc, quæ ad-
feruntur non ostendant, quod per Patres il-
licitum sit dicere, voluntas generat, de quo ta-
men procedit difficultas; sed tantum urgetur,
quomodo ad communem difficultatem de
processionibus Divinis responderi deberet?
quam difficultatem evaderet aliquis, dicendo,
ideo Verbum esse filium, quia illi communica-
tur fecunditas productiva Spiritus S. teneretur
que nihilominus illius principium virtuale esse
voluntatem: Ad multa alia solvenda secundum
hanc Doctrinam.

ADDO 1. Aliud esse, An intellectio quæ est
in Deo natura, sit distincta virtualiter à volitio-
ne; & aliud, An formalitas & denominatio na-
turæ, proportionaliter ad creatura definibilis, sit
formalitas & denominatio volitionis? prior il-
la propositio est falsa; posterior vera: Et sicut
non distinguitur in Petro animalitas & rationali-
tas; nihilominus competit denominatio ani-
malis Petro ratione actuum sentiendi; ita ut de-
nominatio rationalis non sumatur à dictis acti-
bus? Totum nihilominus distinctio illa referenda
est in ipsa connotata; sic etiam in præsentia, nulla
erit distinctio virtualis inter Intellectiōem &
volitionem; nihilominus hanc denominatio-
nem Naturæ, competere intellectiōi, & non
competere volitioni: quia intellectio ex modo
concipiendi, prior est volitione, cum tamen Na-
turā, nihil sit prius.

ADDO 2. Distincta hæc esse: Processio Ver-
bi est in similitudinem formaliter intellectiōis,
& naturæ, non verò processio Spiritus Sancti &
alia: Natura quæ est intellectio non est virtua-
liter idem cum volitione; posterior est falsa,
prior vera, quia quamvis non sint virtualiter
distincta natura, hoc est intellectio, & volitio,

R. P.
THE MŁOD
ZIANOWSKI
Tom 1. et 2.
D. VI

nihilominus ratione connotatorum habent formalitates, & denominationes diversas, rationeque connotatorum nemine cogitante distinctas. Unde similitudo in natura potest convenire filio, nemine cogitante ratione illius formalitatis, & denominationis oriundæ ex connotatis, & non convenire Spiritui S. ut in simili dictum est supra de animalitate, & rationalitate in Petro; distinguendo illas non ratione formalitatum aliquarum communium, nec in recto, ut faciunt Scotista. Et sicut illæ denominationes animalis & rationalis sunt nemine cogitante; neque tamen arguunt virtuales distinctionem in ordine ad prædicata physica; sic nec in præsentia. Item sicut brutum non est simile in rationalitate Petro, licet sit simile in animalitate; nec tamen id arguit illam distinctionem virtuales in ordine ad prædicata physica inter animalitatem & rationalitatem; sic nec arguet in Divinis, quamvis Filius sit in similitudinem naturæ, seu intellectus, non sit Spiritus S.

An autem absolute admittenda sit distinctio virtualis inter intellectum, & volitionem? de hoc alibi. In præsentia autem pensatur, quid sequatur ex vi phrasium, quibus Patres utuntur: ad particularem enim modum explicandæ generationis Verbi, erit necesse hic etiam ponere distinctionem virtuales, de quo in mat. de Trinitate. Si enim quis diceret ideò productionem secundæ personæ esse generationem: quia est communicatio esse, cum vi communicandi esse alteri personæ; jam in hac sententia, non erit necesse ponere intellectum & volitionem distinctas virtualiter.

ADDO denique. Illam propositionem, similitudo requisita ad generationem debet esse in aliquo absoluto; duplicem potest facere sensum, nempe, quod similitudo ex parte assimilati, debeat esse in aliquo absoluto; & hæc propositio est falsa; quia nullum absolutum datur in Verbo, quod non detur in Spiritu S. & tamen datur specialis similitudo in Verbo; immo non potest esse similitudo, nisi in esse productum; quia in esse filiativo, & tamen esse productum, est esse relativum. Rursus dicta propositio: In generatione debet esse similitudo in aliquo absoluto, potest facere hunc sensum, ex parte ejus, cui sit assimilatio, non debet esse assimilatio in relativo, sed in absoluto; & hæc vera est, si enim esset assimilatio in relativo, deberet esse assimilatio in paternitate, consequenter Filius esset Pater; similitudinem autem in absoluto salvare poterit quispiam etiam tenendo, quod voluntas generet: quia erit similitudo in intellectu, quæ est natura Divina, quantumvis virtualiter indistincta à volitione.

Ex hac discussione hujus argumenti colligitur non rectè probari, quod dentur præcisiones objectivæ ex eo, quod intellectus generet, vo-

luntas non generet: dicerent enim oppositi, intellectum generantem ex parte objecti & virtualiter, non distinguere à voluntate, tuerenturque se præcisionis Auctoritatibus. *Hinc securius*

PROBATUR. Aliter dari præcisiones objectivas in Divinis. Quando dico, Natura communicatur; Paternitas non communicatur (idem judicium esto de aliis prædicatis naturæ, comparatis ad prædicata personalia, & notionalia) sub illa prima propositione, vel respondet ex parte objecti natura, vel non respondet; Si non respondet, ergo datur præcisio objectiva: si respondet ergo, sicut ex parte objecti natura communicatur? ita ex parte objecti paternitas communicabitur? siquidem ex parte objecti sub termino natura, respondet paternitas, de qua verificatur quod communicetur. Plures responsiones huic argumento collectas impugnavi in Logica. Contra novas phrasas à variis inventas munendum erit argumentum.

RESPONDET in simili Avancinus, quod in his sit necesse condistinguere rem significatam à modo significandi; propositio affirmativa, semper est vera, negativa, quoad rem significatam, semper est falsa, etsi vera sit quoad modum significandi.

CONTRA est, quæro enim: An quoad rem significatam & ex parte objecti verum sit dicere, Paternitas communicatur? Si verum, ergo id falsò revelavit Deus, qui revelavit paternitatem non communicari, nec Filium esse realiter Patrem: foret autem revera realiter Pater, propter communicatam sibi realiter paternitatem, si autem non communicatur, idque ex parte objecti haberetur intentum.

NEQUE valet si dicas, Rem paternitatis communicari, non communicari realiter paternitatem; ex hoc enim ipso sequitur dari præcisiones objectivas, siquidem communicata re paternitatis ex parte objecti, non communicatur ex parte objecti realiter paternitas. Tum quia modus significandi est totus pendens à nostro conceptibus & modis concipiendi: Quæro, independentè à modis nostris significandi; An objectum hoc, quod est paternitas, & id, quod hoc nomine paternitas, ex parte objecti significatur, An inquam communicetur, vel non? si communicatur; Ergo falsò oppositum docet Ecclesia; si non communicatur. Ergo falsò dicitur quoad rem significatam paternitatem communicari. Quod si dicas; Rem significatam illo nomine paternitas, inadæquatè acceptam, communicari, hoc ipso ut urgebatur in Logica admittis præcisiones admittendo unum inadæquatè acceptum, non communicari ex parte objecti, & aliud communicari. Et licet quidem in materia de præcisionibus dictum sit; Nullo posito intellectu inadæquatè con-

incipiente illas propositiones: scilicet paternitas non communicatur, Natura communicatur, non fore veras, id intelligendum est de propositionibus secundum quod propositiones sunt, quæ intellectum notant; independentem a nostris conceptibus verum est dicere, quod paternitas non communicatur. Tum, quia si Dei revelationes, (ut formalia sunt verba Avanci) & Ecclesiæ definitiones sunt de rebus prout sunt in se, quoad rem significatam. Ergo quoad rem significatam sub hoc nomine paternitas, verum erit illam non communicari: hoc enim definit fides, quod scilicet paternitas non communicatur.

Tum, quia si concedit propositiones affirmativas esse veras, quando dico: Natura communicatur, nonne falsum erit dicere: paternitas communicatur? quia autem hæc falsum poterunt, ut urgebatur supra sine distinctione virtuali, adeoque præcisione objectiva?

RESPONDET. Rosmer. Illas propositiones ex quibus urgetur, dari præcisiones objectivas, ita esse formandas: Hæc res quæ est Essentia, communicatur, hæc res quæ est personalitas, non communicatur, manifesteque apparebit in negativa falsitas: quoad rem enim significatam communicatur, licet non communicetur quoad modum significandi.

CONTRA. Tum, quia sequetur Filium esse realiter Patrem, siquidem illi quoad rem adeoque realiter, communicatur paternitas, sicut et realiter Deus, propter realiter sibi communicatam Deitatem.

Tum, quia uti jam dixi, non responderet ad punctum difficultatis: non enim de hoc queritur, an id cum quo est realiter physice idem persona, communicetur: hoc enim est de fide; sed queritur de hoc, cum non possit dici, quod totum id communicetur, quod est physice illa Entitas, alias communicaretur paternitas, contra fidem; cum inquam id dici non possit: qui id fieri, quin verificentur contradictoria de eodem ratione ejusdem? Quod intra eandem physice Entitatem ex parte objecti unum realiter communicatur, & aliud realiter non communicatur; Ergo jam admittuntur præcisiones objectivas. Tum, quia propositio hunc expositorem. Hæc res quæ est persona Patris, non est distincta à Patre. Hæc res quæ est persona Filii, est hæc res quæ est persona Patris; Ergo hæc res quæ est persona Filii, non est distincta à Patre; Ergo neque Filius est distinctus à Patre: nihil enim est Filius præter hanc rem quæ est Filius: Huic expositio negari debet vel major, vel consequentia: quia non facit unum censum; Omne quod est hæc res, quæ est persona Patris, non est distincta à Patre, qua modificatione majoris assumpta inquiri potest: Unde hoc sit, idque ex parte objecti, quod non omne, quod est hæc res, quæ est persona Patris, non est distincta à Patre? Ergo in ipso adhuc illic hæc res duo distinguere debes, unum di-

stinctum à Patre communicabile, aliud indistinctum incommunicabile; Ergo ulterius ex parte objecti, datur illic præcisio inter communicabile, intra hanc rem quæ utrumque complectitur, tanquam idem realiter physice. Tum, quia durum videtur dicere, quod quoad modum tantum significandi sint tres personæ distinctæ; hoc autem sequeretur, si tantum quoad modum significandi non communicaretur paternitas filio, nec esset idem cum filio, sed nonnisi quoad modum significandi; consequenter tantum quoad modum significandi Pater non esset Filius; quoad rem autem significatam esset Filius; & sicut quia quoad modum significandi communicatur illi natura, est Filius & quoad rem & quoad modum significandi Deus; ita cum illi quoad rem communicetur paternitas, & non communicetur quoad modum significandi, fiet, ut quoad modum significandi Filius non sit Pater, quoad rem autem significatam Filius sit Pater; consequenter non erit quoad rem significatam Trinitas, sed tantum quoad modum significandi; quod videtur esse Sabellianismus, solis nominibus, seu quoad modum significandi distinguens personas. Tum, quia non est major ratio, cur hæc propositio: Hæc res quæ est paternitas communicatur, verificetur ratione naturæ? & cur hæc propositio: Hæc res quæ est persona, non communicatur, verificari non possit ratione personæ; quo casu communicari, & non communicari debebunt ex parte objecti intra eandem physicam Entitatem non idem importare, alias verificarentur Contradictoria de eodem, ratione ejusdem; Ergo ex parte objecti præcindere dicta debebunt. Tum, quia ad maximum si hæc propositio: Hæc res quæ est paternitas non communicatur, falsa dicatur, id inde argui deberet, quod hæc propositio sit negativa, adeoque malignantis naturæ, consequenter indicans, quod scilicet nihil horum, quod est physice hæc paternitas, communicatur; sed hæc propositio hoc sensu à nobis non conceditur. Sed restat querere: An posita falsitate dictæ propositionis in illo sensu, verum sit adhuc dicere: Hæc res quæ est paternitas, ratione omnium quæ illi realitati identificantur ex parte objecti communicatur? si non communicatur; Ergo ex parte objecti est illic alietas; Ergo & præcisio objectiva; si communicatur; Ergo propter communicatam paternitatem, Filius est Pater.

Ad solvenda autem aliqua ex iis, quæ adfert ex Florentino Sess. 20. ubi dicit Concilium, quod *Persona Patris nonnisi ratione ab ipsa paternitate substantiaque differat*. Ad hæc inquam solvenda, tenendum erit, quod scilicet quoad actualem distinctionem, & alietatem, illa non habeatur, sed nonnisi distinguuntur hæc ratione nostra, cum virtualis distinctio, non adferat ullam multiplicatam & distinctionem actualem. Porro

R. P.
H. MŁOD
Zianowski
Tbm. de Z.
D. VI

ipsa præcisio objectiva, & distinctio virtualis, est nemine cogitante, licet sine ulla actualitate multipliciter importante; præcisio autem objectiva multipliciter quidem importat, sed non nemine cogitante. Rursus distinctio virtualis est, quæ supponitur à præcisione objectiva; præcisio autem illi advenit, præscindereque pertinet ad Intellectum, quem præcedit distinctio virtualis.

RESPONDETUR 3. Quod hæc omnia salvari possint sine ulla præcisionibus objectivis; idque posse probari variis instantiis.

PRIMA est. Oculi non præscindit; & tamen attingit colorem non attingendo nec discernendo nigredinem à longè positam; Ergo nec intellectus præscindit colorem à nigredine, cum attingit colorem, non attingendo nigredinem.

RESPONDETUR. Solutum hoc jam esse Tract. de Dist. Nunc addo, præscindere objectivè, est attingere unam formalitatem non attingendo aliam ex parte objecti: quia ergo oculi non est attingere formalitates, fit, ut oculi non præscindat. Rursus, quia non attactio illa nigri ab oculo inde proficiscitur, quod transmissa species ab objecto, ita fit debilis & variata ratione distantia, ut non possit principiare similitudinem expressam proportionatam objecto; hoc autem non est præscindere; sed intellectus verè adhuc tunc præscindit.

SECUNDA est. Concurrentibus duabus causis v. g. Deo & Intellectu ad intellectionem, uterque totum effectum ponit; & tamen dicuntur illæ causæ partialiter producere effectum, partialitate tenente se ex parte effectus; Ergo etiam possemus dicere, dari præcisiones objectivas, quæ attingant objectum, partialiter partialitate tenente se ex parte actus, non ex parte objecti.

RESPONDETUR. Tales causas non appellari ullo modo partiales, sed totales in suo ordine. Sed quidquid sit de hoc: Disparitas est, quia si una formalitas produceretur, & alia ipsi identificata non produceretur: hoc ipso caret distinctio virtualis in ordine ad prædicata primò intentionalia; qualia sunt prodeci, & non produci; consequenter in creatis daretur aliud quid simile mysterio Trinitatis; quod absurdum non sequeretur, si ex parte objecti attingeretur una formalitas, non attingeretur alia; immo esset absurdum, ut probatum est, si ex parte objecti attingeretur.

TERTIA est. Quando quaeritur, An corpus simplex sit possibile? Item: An continuum Zenonisticum non implicet? Possumus ex una parte apprehendere corpus simplex, v. g. & adhuc ignorare ejus prædicata essentialia. Item possumus apprehendere continuum Zenonisticum, & non apprehendere illius possibilitatem,

universaliterque possumus apprehendere definitum, & adhuc ignorare ejus definitionem; & tamen hæc possunt salvari sine præcisione objectiva; Ergo & in aliis materiis.

RESPONDETUR. Non fieri tunc præcisionem objectivam: quia ut dictum in Logicis, non potest illa dari nisi inter formalitates, quarum una sit reperibilis sine alia. Quia ergo definita sine definitionibus, possibilitas continui Zenonistici sine continuo Zenonistico reperiri non potest, &c. fit, ut inter illa non detur præcisio objectiva, interceditque tunc ignorantia, non præcisio: cum hoc tamen non nego, quod ipse conceptus formalis non discernat tunc diversitatem inter illa, habetque se quasi dicta præscinderent ex parte objecti.

DIFFICULTAS II.

Explicantur reliquæ Præcisiones objectivas in Divinis concernentia.

QUÆRES I. An Attributa in statu præcisionis includant sese?

ASSERO I. Quando Attributum præscinditur & ab Essentia, & ab aliis Attributis, non involvit jam illa. Ratio: quia si involveret, & præscinderet ab illis & non præscinderet; præscinderet quidem ut supponitur, non præscinderet, quia illa involveret, contineretque eodem modo atque continebat ante præcisionem. Adsequentia asserta.

SUPPONO. Dupliciter abstrahi posse v. g. animalitatem i. v. g. à solo rationali 2. Etiam ab ipsis particularibus animalitatibus; sic etiam Attributa superiora abstrahi possunt, vel à sola Essentia, vel etiam à particularibus Attributis; quæ fortè comparari possent tanquam particulare quid ad universale: posteriori modo si abstrahant Attributa.

ASSERO 2. Non involvi differentias particularium Attributorum, si ab illis abstrahatur ratio communis.

PROBATUR. Quia & animal abstractum à particularibus animalitatibus non involvit particulares animalitates; Ergo nec Attributum commune, si abstrahatur à particularibus, involvet eadem. Quod si abstrahatur Attributum ab Essentia, & non à particularibus, v. g. rationibus, non præscindet ab iisdem. Ratio, quia aliqua formalitas in tantum non involvit alias identificatas, in quantum ab illarum involutione, per actum intellectus depuratur, qui supra objectum propositum revolvens sese, possit dicere: nulla, hæc vel illa, latet hic multiplicitas &c. hæc autem depuratio, tum temporis non fit: quia supponitur, abstractio facta esse non à particularibus, rationibus attributalibus, sed à ratione Essentia, adhucque tunc erit abstractio inter

Inter rationes communes: quia totum fundamentum ex eo sumetur, quod definitio huius non sit definitio illius, neque erit necesse plus quam in actu exercito attendere à quibusnam sit præcisio; hoc enim solum sufficiet si fiat in actu exercito, & non reflexo.

Ceterum quando concipit intellectus attributum Divinum, idque physicè accipiendo Divinitatem, adhuc tunc indirectè attributum involvet alia Attributa. Ratio, quia sic conceptum Attributum, involvet Essentiam Divinam; hæc autem si physicè sumatur, involvit Attributa. Ad solvendas Objectiones

NOTO. Quod scilicet Sapientia Dei pro statu physico, itemque contracta ad esse Dei, sit essentialiter Deus & increatum quid; Sed Sapientia materialiter pro statu metaphysico ut sic accepta, nec est quid creatum, nec increatum, quamvis pro statu physico, sit quid creatum vel increatum. Unde ratio illa pro statu abstractionis erit Divina, ampliativè, vel ad maximum erit Divina, hoc est, etiam Deo debita; sed non erit Divina formaliter.

QUÆRES 2. An omnia Attributa ut distincta per rationem sint æque perfecta? Censent non pauci Neoterici. Negat Martinon d. 3. Amicus d. 3. S. 8. & ex parte Quiros d. 18. Num. 16.

ASSERO 1. Accipiendum unum Attributum præcisè ab aliis, & præcisè à Deitate, potest unum esse perfectius alio. Ratio, quia sic sumptum importat solum connexionem prædicatorum, quæ in uno Attributo potest esse maior, dignior, &c. aliis; & sic, ut sic loquendo dignius est esse intellectivum, quam esse occupativum spatii, quod competit etiam Deo.

ASSERO 2. Accipiendo unum Attributum præcisè ab aliis, non tamen à Deitate; unum quodque est æque intense perfectum, sed non æque extensè.

Ratio, quia totum principium dignificationis est ipsa Deiitas, quæ supponitur non esse præcisæ. Erit ergo illud Attributum, æquè intense dignum, ac alia Attributa, sed non erit æquè dignum extensè; Quia non involvet alia Attributa, quæ tamen sunt dignitates aliquæ.

ASSERO 3. Quamvis accipiat unum Attributum simul cum Deitate, nihilominus unum in ratione materiali, potest esse dignius alio. Ratio, quia etiam actiones Christi D. quamvis habeant idem principium dignificationis, hoc est personalitatem Verbi; nihilominus una præ alia in ratione materiali potest esse dignior.

DICES 1. Omnes actiones Christi D. sunt æqualis valoris, personæ item æqualis perfectionis; Ergo & Attributa, etiam præcisæ, sunt æque perfecta.

RESPONDETUR. Etiam actiones Christi D. secundum esse materiale non erant omnes æque perfectæ; personæ item sunt æqualis perfectionis; quia illarum dignificatio sumitur ab eo, quod est à parte rei; à parte autem rei identificantur omnes eidem dignificationi, hoc est Deitati; hic autem sumuntur Attributa prout subsunt rationibus nostris, & secundum rationes communes, communes autem rationes non sunt æque dignæ.

DICES 2. Ergo omnia Attributa non sunt æque adoranda.

RESPONDETUR. Rationes communes non adorantur, sed ea quæ sunt à parte rei Attributa.

DICES 3. Omnes perfectiones Divinæ sunt Divinæ intrinsecè. Ergo postulant tractionem secum Essentiæ Divinæ, consequenter omnia trahens secum Attributa.

RESPONDETUR. Quod ratio Deitatis possit præcindi à perfectionibus consequenter poterunt illæ cognosci non ut Divinæ.

Vide plura Metaphysicæ D. 3. a. Num. 289.



TRACTA.